

poterat. — Et primum quidem intus in diptychis videtur scripta esse ipsa constitutio cum nomine veterani, extrinsecus nomina signatorum cum nota testificante, id quod intus scriptum esset, descriptum esse ex tabula publice in Capitolio vel Palatio proposita. Sed huius generis diptychorum unum tantum superest, non antiquissimum eorum quae extant sed certe ex antiquioribus, N. 1994. Mature enim in usum venisse videtur, ut id quod intus scriptum esset, etiam extrinsecus repeteretur, sine dubio eo consilio ut etiam non resignatis tabulis quid intus scriptum esset intellegeretur. Ita factum est ut plerarumque constitutionum apographa habeamus duo, alterum perscriptum extrinsecus in diptychi pag. 1 vel 4, alterum intus in pag. 2 et 3 (in altera pagina exteriore incidi solebant nomina signatorum). Atque usque ad tempora Traiani utrumque apographum pari cura exaratum est, scilicet pari cura repetitum ex archetypo Capitolino vel Palatino; sed temporibus Traiani scriptura interior, quae vere debuit esse primaria, negligenter confici coepit; vocabula enim passim reperiuntur non ita perscripta ut erant in archetypo, sed inchoata paucis tantum litteris perscriptis, litterae autem ita inconditae, ut vix legi queant; interdum legi omnino nequeant; non pauca denique, quae minus necessaria videbantur, in scriptura interiori omnino omissa sunt. Hanc ob causam infra N. 2005 seq. solam scripturam exteriorem repraesentavi (solum in eis diptychis, quae non integra ad nos pervenerunt, scripturam exteriorem, ubi opus erat et ubi fieri poterat, supplivi ex interiori). (Diocletiani aetate interdum in his diptychis rursus semel tantum constitutionem perscriptam esse videtur ostendere tabella aenea edita III p. 900, IX 261, non semper id factum esse ostendit alia tabella eiusdem aetatis III p. 900, X 1113.) Diptychorum quae ad nos pervenerunt pleraque spectant ad veteranos ex alis cohortibusve auxiliariis (ex infra editis N. 1987. 1992. 1995—2006), multo minor eorum est numerus quae spectant ad classiarios (N. 1986. 1990. 1991), pauciora etiam spectant ad milites cives Romanos, missos ex cohortibus praetoriis urbanisve (N. 1993. 1994. 2007. 2008. 2010), unum ad equitem singularem Augusti (N. 2009); legionariis, si exceperis milites legionum primae et secundae Adiutricum conscriptos ex classicis (N. 1988. 1989), nulla diplomata huius generis data esse videntur. — Diptycha reperta usque ad annum 1872 numero quingaginta octo edidit et illustravit Mommsen (III p. 844 seq.); quae accesserunt usque ad a. 1884 numero XXII (— LXXX), edidit idem Eph. 2 p. 452—466, 4 p. 181—187. 493—515. 5 p. 92—100. 640—647. 652, his ultimis annis reperta, numero non minus undecim, idem editurus est in C. I. L. III supplemento. Imagines diptychorum dederunt multi, multorum, eaque optime facta, Arneth 'Zwölf römische Militärdiplome' (Vindobonae 1843), item Leo Renier libro inscripto 'Recueil de diplomes militaires' (livr. I, Paris. 1876).*

* Conferenda sunt quae iuris auctores praeceperunt de signandis tabulis testamenti aliisque. Paulus sent. 5, 25, 6: 'amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quae publici vel privati contractus scripturam continent, exhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad medianam partem perforatae triplici lino constringantur, atque impositae supra linum cerae signa imprimantur, ut exteriori scripturae fidem interior servet; aliter tabulae prolatae nihil momenti habent.' 

1986 Ti. Claudio Caesar Augustus Germanicus, pontifex maxim., trib. potestate XII¹, imper. XXVII, pater patriae, censor, cos. V, trierarchis et remigibus, qui militaverunt in classe, quae est Miseni sub Ti. Iulio Augusti lib. Optato², et sunt dimissi honesta missione, quorum nomina